



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

67 Fieri possunt per procuratorem in actibus non praejudicialibus, quae  
quis facere potest per seipsum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

confirmandi simplici presbytero committeret, tunc non Papa, sed ille presbyter esset confirmator, & cognationem spirituales contraheret. *Sot. in 4. sent. ead. dist. 42. artic. 2. colum. ult. & Ledesm. ead. quest. 56. artic. 3. §. ex resolutione, in si. quia delegatus à Papa ad sacramentum confirmationis conferendum, accipit potestatem à Papa confirmandi nomine proprio, & propterea ipse contrahit affinitatem, procurator vero constituitur ad explendum actum alieno nomine, & hoc casu ad tangendum nomine constituentis, & ideo constituenti, non sibi cognationem acquirit, ex sententia sacre congregationis, de qua supra, sub tit. Veronen. & cum casus sint diversi, ex diversis non inferitur, l. papinianus exuli, ff. de minor.*

<sup>66</sup> Suscipientes enim pueros, † de sacro fonte sunt illorum fidejussores apud Deum, illosque tenentur admonere, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant, ac symbolum, & orationem dominicam docere, ut *cap. vos ante omnia, de consecr. dist. 4. & fidejussio per procuratorem præstari potest. Bart. in l. si fraudator. num. 1. ff. de his que in frau. credit.*

Non obstat ratio deducta, quod ad contrahendam cognationem spirituales sit necessaria actio realis tangendi per text. in *cap. ad limina. 30. quest. 1. & Ledesm. loco supra citato*, quia ille text. narrat, quid factum sit, nempe patrem propriis manibus puerum de fonte levasse, & non dispositivè: quò casu argumentum à contratio sensu non valet, ultra quòd quæ in dispositione mandantur propriis manibus fieri debere, per alium <sup>68</sup>

fieri possunt, ut probat text. in *clemen. unic. §. prefatus itaque, in fin. de jurejur.* ubi Papa coronam, inquit, sibi per manus nostras debere concedi, quam tamen postea per manus cardinalis imponi fecit, ut in eadem *clem. §. & subsequenter*, & facit gloss. in *cap. cum Episcopus in ver. capere*, id est capi facere, de officio ordinarij in 6.

Cùm enim in levando puero † de sacro fonte non fiat actus præjudicialis, sed favorabilis, cùm hoc medio inimicitia reconcilientur, & paces componantur, in actibus non præjudicialibus, quæ propriis manibus fieri debere leguntur, per alium fieri possunt, ut per text. in *d. §. prefatus itaque*, tenet Card. in ead. *clement. 1. quam sequitur Felin. in cap. licet ex quadam. num. 1. post med. de testamen. & verba denotantia propriam personam aliquando interpretantur de tertia persona, ut satisfiat aliis juribus, ut per dictam gloss. quam ibi ponderat Dom. de offic. deleg. in 6. & Felin. in d. c. veniens, num. 1. post med. ver. & scias quidd.*

Nec est verum, ut contrariam opinionem tenentes sustinere conantur, quòd sit electa industria personæ, ad levandum puerum de sacro fonte, quia est electa tantum pro erudiendo levatum, quòd ultimum non abdicat à se levans per alium, & ita distinguit Abb. in *cap. veniens num. 4. de cogn. spir.* & melius Felin. in *d. cap. licet ex quadam. num. 1. vers. & ratio prædictorum*, & ubi non est electa industria personæ, admittitur substitutus, l. inter artifices, & ibi Bart. ff. de solut. & Felin. eod. vers. & ratio.

Alia insurgit quæstio, † an cognatio spiritua-